

## EPISTOLA

temporis tractu eueniat, sed vno eodemq; diē  
comperias mille hominum mores & diuersa ius-  
dicia: fit hinc, vt quantumuis varij de eadem  
re autores ab alijs atq; alijs colantur &  
expetantur, quia certè (vt ille cecinit)  
Τος δ' ἔτερος μὴν ἐδωκε τατηγ, ἔτερον δ' ἀνέ-  
νευσεν.

Proinde & nos amicorum precibus com-  
pulsi sumus, Arithmetices aliquam compendi-  
ariam rationem ac facilem, quam nescio quo  
argumento nos efficere posse collegerunt, in-  
lucem euulgare. Non quod nostra hæc meliora  
iudicemus ijs, quæ à varijs ante nos tradita  
sunt, verum quòd ipsis magis arriserint, quām  
ea quæ sæpè inter docendum percurrere soleo,  
quorum alia obscuriora visa sunt, nonnulla ni-  
mium Laconicè dicta, illa contra prolixitatib;  
accusanda. Cum igitur multis argumentis ex-  
ploratum habeam, me in tuorum numero ami-  
corum non posteriori abs te loco habitum fuiſ-  
se semper, egoq; te vicissim ab ea vſq; consuetu-  
dine, quam Matheſeos mutua inter nos colla-  
tio primū peperit, vnicè amauerim ac colue-  
rim,